



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Martini Lvtheri Piae Ac Doctae Operationes In Dvas Psalmorvm Decades

Luther, Martin

Basileae

VD16 L 5540

Dixit enim in corde suo, oblitus est deus, auertit faciem suam, ne uideat in
finem.

urn:nbn:de:hbz:466:1-37005

Tyrannis pō
tificum.

sententia Ecclesie satellite; & adulescentes, siquidem peccata in deum perpetrata rident, & pro peccatis iam non habent, tantum abest, ut in ea irruant, ut hic obseruent, ut hic uel millesimam officij sui, aut uirium suarum partem impendant. Caterū ubi dubites de statutis eius, & an sit mixtus deus & homo, an dominus terrenus mundi, hic si syllaba, uel imprudens, labaris, tractus in rethe contereris, & irruent in te omnibus uiribus, non contenti gladio, & fulminibus late sententia cum tot maledictionibus, ut uix sufficias perlegere, auxilium etiam brachij secularis, & totius mundi uires inuocantur, tantum gocij est Sedem tyrannicam tueri, ut mihi propheta his uerbis: Irruet uiribus suis, uideatur hanc nostrorum tyrannidem, uel pro Antichristo, uel in Antichristo expressisse. Contra quā, cum uideamus omnes ea tantum quae sua sunt perditissimis studijs quatere, & ea quae dei sunt cōtempissime negligere, nō tamen audemus mutire.

Igitur: Humiliabit, & inclinabit, non de persona Antichristi intelligitur, sed de opere eius tyrannico in pauperes. Sicut & illud: Cadet cum dominatus fuerit, & que uim eius significat. Nam ab hac uiolentia irruēdi appellantur Gygantes, Genesis. vj. נִפְלִיִם Niphlim, id est, cadentes, seu irruentes. Quia (inquit) erant uiri potentes in mundo, & famosi (hoc est, tyranni) qui irruerunt, & oppreserunt uiri propria pauperes. Sicut & de Nimbroth Genesis. x. dicitur: Iste cepit esse potens (id est, uiolentus) in terra, & robustus uirator coram domino.

Dixit enim in corde suo, oblitus est deus, auertit faciem suam, ne uideat in finem.

Iterum non hoc dicunt impij (ut aliqui putant) quod arbitrentur deum non esse uindicem malorum, aut res hominum non curare, cum sub nomine domini omnia perpetrent. Sicut Christus Matthei, xxiiij. praedixit: Multi uentur in nomine meo: sed quod tam securi sint, adeoq; sine timore dei, ut deū arbitrentur oblitum esse pauperum, & pro se, contra pauperes stare, ut uersus sequens indicat, dicens: Ne obliuiscaris pauperum. Nec solum oblitum, sed etiam abscondisse, & auertisse ab eis faciem, ut nunquam in aeternum sit respecturus ad eos. Quanquam sint reuera hodie quamplurimi, qui non credūt animam immortalem, & retributionem futuri iudicij. Hanc insignem obstinationem, & induratam praesumptionem impiorum hoc uersu arguit, Qua pios ad blasphemiam spiritum prouocant. Sicut Christo in cruce dixerunt: Si filius dei est, liberet eum, si uult. Non enim satis habent pios perdidisse, insuper blasphemantes, & insultantes diuini auxilij desperationem obijciunt, aut saltem praesumūt. De quo psalmo. iij. latius, Atque hic finis & ultimum est, quod impij possunt, ideo nunc sequitur alia pars psalmi, in quo pro pijs contra impios orat, & prophetat, dicens:

Exurge domine deus & exaltetur manus tua, Ne obliuiscaris pauperum.

Dicunt impij te pauperum obliuisci: At tu exurge, & exalta potentiam tuam, qua